FOEDUS SACRO-SANCTUM,

Pro Religione repurganda & propugnanda,

Pro Honore & Felicitate Regis asserenda,

Pro conservanda pace & incolumitate publica in tribus Regnis

SCOTIA, ANGLIA, & HIBERNIA.

Jer.50.5. *Venite, copulate vos Jehovæ, fœdere sempiterno, quod nunquam oblivioni tradetur.*

Prov.25.5. *Aufer impium à conspectu Regis, & firmabitur in justitiâ solium ejus.*

2. Chron. 15.15. *Lætati autem sunt universi in Jehudah de isto juramento: toto enim corde suo juraverant, & totâ voluntate suâ quæsierant eum: & inventus est eis, & requiem præstitit eis Jehovah undequaque.*

EDINBURGI,

Excudebat *Evanus Tyler*, Augustissimæ Regiæ Majestatis Typographus. *Anno Dom.* 1643.



Seff. XIIII. Aug. 17. 1643.

Decretum Synodicum de approbandâ Fœderis exhibiti formulâ.

CUm Synodus quibusdam à se delegatis demandasset, ut communicatis consiliis cum augusti Conventûs Ordinum hujus Regni, & utriusque Domûs Illustrium Comitiorum Regni Angliæ Delegatis, de ratione arctius uniendi, & consociandi duo Regna deliberationem instituerent; hoc quod subsequitur Fœdus, communis istius consultationis conclusio, Synodo ab ipsis exhibitum, & quantâ decuit negotium tanti in publicum momenti cura & solicitudine à Synodicis examinatum, unanimi omnium consensu & calculo (primordia jam etiamnum gaudii istius præsentiscentium, quod in renovando non ita pridem publico Ecclesiæ Regniq; Fœdere cumulatissimum perceperant) libentissimè approbatum acceptumque fuit, tanquam modus & ratio maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Serenissimi Regis ditionibus summâ cum pace stabiliendam ac conservandam, & ad exteras gentes propagandam, foliique Regalis authoritatem per omnia deinceps secula confirmandam. Quod propterea illustri

ipsis examinatum approbatumque in Angliam quamprimum transmittatur, ibique acceptum & comprobatum, publicâ intercedente humiliatione, aliisque quibus uti par est ritibus religiosis, omnium utriusque Regni civium puriorem religionem sincerè profitentium, juramentis & additis chirographis sanciatur.

A. Johnston.

Decretum Conventus Ordinum, quo Fœderis ejusdem formula comprobatur. 17. *Aug.* 1643.



PRoceres, Provinciarumque & Civitatum Legati in hoc Conventu publico sedentes, Fœderis antenominati formulam à Delegatis suis exhibitam, communibus eorundem consiliis ac deliberatione cum Delegatis Synodi Nationalis, ac utriusque Domus Comitiorum Regni Angliæ descriptam, & maturè à se examinatam, unanimi omnium sententiâ, cum summá gaudii testatione libentissimè comprobârunt, & obviis ulnis amplexi sunt, ut modum & rationem maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Serenissimi Regis ditionibus summâ cum pace stabiliendam ac conservandam, & ad exteras gentes propagandam, soliique Regalis authoritatem per omnia deinceps secula confirmandam. Quod cùm non dubitent à fratribus suis Regni Angliæ civibus ultró comprobatum & amplexum iri, ex seriâ præsentis Synodi Ecclesiasticæ commendatione, propter causas ante memoratas, quamprimùm eó mittendum esse statuunt, ut à fratribus suis

Anglis

Anglis acceptum & comprobatum, cum omnibus qui-
bus uti par eſt religioſis ritibus , univerſorum utriuſque
Regni civium puriorem Religionem ſincerè profitentium
jurejurando & additis chirographis ſanciatur.

Arch. Primeroſe Cler. Con.

Edinburgi 11. *Octob.* 1643.

Decretum de Fœdere publicè accipiendo, & Sacramentis ac appoſitis chirographis ſanciendo.

SYnodi Nationalis Delegati Fœdus infra deſcriptum à fratribus ſuis in Angliam legatis tranſmiſſum , ab utraque Domo Illuſtrium Comitiorum Regni Angliæ, & Theologorum Synodo ibidem ſedente comprobatum , & juramentis ac chirographis publicè ſancitum , à ſe autem maturè examinatum , unanimi ſententiâ univerſi acceperunt & approbarunt , utpote conſentaneum illi formulæ quam nupera Synodus Nationalis Ordinumque Conventus tanto cum omnium conſenſu comprobaverat , ut modum & rationem maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Sereniſſimi Regis ditionibus ſummâ cum pace ſtabiliendam ac conſervandam , & ad exteras gentes propagandam , ſoliique Regalis authoritatem per omnia deinceps ſecula confirmandam : Atque adeo pro poteſtate ſibi à Synodo delegatâ Statuunt ,ut univerſi in hac

tercedente humiliatione, aliisque quibus uti par est religiosis adhibitis ritibus, Fœdus hoc accipiant, & jurejurando ac appositis chirographis publicè sanciant: Quod ut commodius ubique perficiatur Statutum est, ut Fœderis hujus formula typis quamprimum publicata, annexâ singulis exemplaribus chartâ purâ quanta sufficiat excipiendis subscribentium nominibus, ad Ecclesiarum Pastores mittatur; utque singuli Pastores primo statim Sabbatho capita Fœderis publicè pro concione recitata explicent, & idoneis hortatibus populi animos, ad Fœdus proximo deinde Sabbatho publicè jurandum, & chirographis consignandum instruant. Statutum est insuper, ut Presbyteria in suis quæque classibus obedientiæ rationem exigant, in contumaces & moras nectentes, tanquam conservandæ & propagandæ Religionis hostes, censuras Ecclesiæ stringant, eorumque nomina, cum exacta diligentiæ suæ ratione, ad hunc Delegatorum Synodi consessum, ejusve Moderatorem aut Scribam quamprimum referant. Quinetiam ut bono exemplo aliis animus addatur, Visum est Synodi Delegatis, ut perendino die, mensis instantis 13. concione & hortatione facta à *Roberto Duglassio* Moderatore, publica Fœderis sanctio conceptis juramentis & appositis chirographis ab ipsis in urbe præsentibus in *æde Orientali* celebretur; Seriò ad hoc rogatis Conventus Ordinum, ac Comitiorum Regni Angliæ Delegatis, ejusque Regni Theologis, qui in urbe sunt, ut tam sancto & religioso negotio secum interesse velint.

A. Ker.

Edinburgi

Edinburgi 12. Octob. 1643.



Onventûs Ordinum Delegati Fœdus infra descriptum, à Synodi Delegatis sibi exhibitum, in Anglia approbatum, & juramentis additisque chirographis publicè sancitum, à se autem maturé examinatum, unanimi omnium sententiâ comprobant, utpote formulæ in nupero Ordinum Conventu & Ecclesiæ Synodo approbatæ consentaneum: Adeoque Statuunt & Edicunt, ut idem Fœdus universi Regiæ Majestatis in hoc Regno Subditi, religiosis qua par est adhibitis ritibus, publicis juramentis & chirographis sanctè stipulentur: Ut renuentes aut tergiversantes, Religionis ac honoris Regii & publicæ trium Regnorum tranquillitatis hostes habeantur, eoque nomine plectantur, eorum bona publicentur, & ipsi nullo in hoc Regno beneficio fruantur, nullo munere fungantur, Utque omnes Præfecti Juridici, Senescalli, aliique sub Regiâ Majestate constituti Magistratus, sive in urbibus, sive rure, omnesque per Provincias ab Ordinum Conventu Delegati Ecclesiarum Pastoribus & Presbyteriis in exigendâ hujus Edicti obedientia, authoritate & auxilio suo adsint & opitulentur; diligentiæque suæ rationem Delegatis ab Ordinum Conventu quamprimum reddant, renuentiumque & tergiversantium nomina referant; ut de iis in modum supramemoratum multandis consilium capiatur, utque ad proxima Comitia in jus vocati, tanquam hostes Religionis, Regis & Regnorum, ex Regis Ordinumque arbitrio supplicium luant. Statuitur etiam, ut hoc, unà cum superiore Conventus Ordinum edicto typis mandatum, & in foro principum urbium publicè promulgatum ansam ignorantiæ cunctis præcidat.

Arch. Primerose Cler. Com.



FOEDUS
SACRO-SANCTUM,

Pro Religione repurgandâ, & propugnandâ,
Pro honore & felicitate Regis asserendâ,
Pro conservandâ pace & incolumitate publicâ in tribus Regnis

SCOTIA, ANGLIA, & HIBERNIA.



NOs Proceres, Barones, Equites, aliique Nobiles, urbium Municipes, Euangelii Ministri, & Plebeii, Regni *Scotiæ*, *Angliæ*, & *Hiberniæ* Cives, ejusdem Regis imperio, ejusdemque reformatæ Religionis communi professione divino consilio sociati, Dei Opt. Max. gloriam, Regni gloriosi Domini ac Servatoris nostri incrementum, Regis Serenissimi ejusque posterorum honorem ac felicitatem, legitimamq; regnorum, quibus privata singulorum conditio continetur, libertatem, incolumitatem, & tranquillitatem publicam sincerè spectantes; Simul atrocissimas Dei hostium molitiones, nefarias conjurationes, horrendasque machinationes & conatus adversus sinceriorem Religionem, ejusque Professores, cùm ubique, tum nominatim in tribus hisce Regnis, jam inde à primis expurgatæ superstitionis temporibus recordantes; quantisque accessionibus impius iste

iste furor, quantis virium incrementis, quam intolerando fastu, & nuper & nunc, adauctus, quantâ sævitiâ grassatus sit, animis nostris perpendentes, quorum omnium deploratus Ecclesiarum et Reip. per Hiberniam status, summæ quibus per Angliam conflictantur angustiæ, ac sævissima iisdem per Scotiam impendentia pericula nimis quàm illustria hodie sunt testimonia; tandem aliquando (frustra toties alia consilia, supplicando, declarando, protestando, tolerando experti) ad nosmetipsos Religionemque nostram ab extremo exitio conservandos, laudatissimum majorum nostrorum in hisce Regnis, populique Dei in aliis gentibus exemplum secuti, maturo adhibito consilio, mutuum Fœdus sanctè paciscimur, Universi additis chirographis stipulantes, & pro sua quisque parte virili levatis ad DEUM Celsissimum manibus, Jurantes,

I. Nos sincero, honestoque studio, constanter per Dei gratiam daturos operam, suo quemque loco, ut in Ecclesiâ Scoticanâ repurgatæ Religionis puritas, in doctrinâ, cultu, disciplinâ & regimine, adversus hostium communium conatus inviolata conservetur; ut in Regno Anglico & Hibernico Religio Christiana in doctrinâ, cultu, disciplinâ & regimine, ad præscriptum Verbi Divini, & purissimarum Ecclesiarum exemplar, à corruptelis vindicetur; utque Ecclesiæ Dei in tribus istis Regnis ad arctissimam conjunctionem & harmoniam in Religione, fidei confessione, regiminis ecclesiastici formulâ, cultûsque divini & catecheticæ institutionis directorio perducantur: Ut & nos & posteri nostri fraterno charitatis & fidei vinculo sociemur, & Dominus in medio nostri habitare delectetur.

II. Nec minore fide advigilaturos & adnixuros ut Papismus, Hierarchia Prælatica seu regimen ecclesiæ per Archiepiscopos, Episcopos, eorundem Cancellarios & Commissarios, Decanos, Decanos & Capitula, Archi-

diaconos, aliaque Hierarchiæ ministeria, ut superstitio, hæresis, schisma, impietas, & quicquid sanæ doctrinæ & pietati minus consentaneum compertum fuerit, funditus extirpetur; ne peccatis alienis communicemus, & in pœnarum societatem nos præcipitemus, sed ut in tribus hisce Regnis, Dominus sit unus & nomen ejus unum;

III. Nec minus sedulò & constanter, pro sua quemque conditione, cum vitæ etiam & fortunarum discrimine, mutuam operam præstituros, in tuendo & asserendo Parliamentorum jure & privilegio, ac Regnorum suis cujusque libertatibus, nec non Serenissimi Regis incolumitate & authoritate vindicandâ in purioris Religionis & libertatis publicæ conservatione: Ut unâ cum conscientiis nostris Orbis universus fidelitati nostræ testimonium perhibeat, & quàm alienæ sint cogitationes nostræ ab omni consilio Majestati Regiæ & legitimæ ipsius autoritati vel tantillum derogandi, omnibus demonstremus.

IV. Omni etiam fide operam navaturos, ut Incendiarii, quietis publicæ turbatores, quique malignis consiliis Religioni repurgandæ impedimenta objiciunt, Regis animum à civibus alienare, inter regna hæc dissidium serere, aut factiones in populo adversus fœderis hujus societatem concitare satagunt, detegantur, inque judicium publicum pertrahantur; ut supplicium luant pro suo quisque demerito, aut quemadmodum suprema utriusque Regni judicia, eorundemve Delegati de suis quique statuent;

V. Quin & pacem ac concordiam publicam inter hæc duo regna, majoribus nostris tot secula negatam, nunc tandem Dei Opt. Max. consilio feliciter nobis concessam, & supremorum Comitiorum in utroque regno sanctionibus non ita pridem confirmatam, suo quemque loco & conditione sartam tectam conservare omnem operam

daturos,

daturos; ut illæsa ad omnem posteritatem transmittatur, ejusque hostes & violatores ad supplicium pertrahantur, ad modum superiore articulo expressum;


VI. In hâc quoque Religionis, Libertatis, & Pacis inter duo Regna conservandæ causâ publicâ, nos, suo quemque loco, omnes & singulos Fœderis hujus communione nobiscum sociatos in ejus prosequendi & propugnandi negotio asserturos, auxilioque nostro defensuros, nec ullis artibus, ullâ spe aut terrore proposito, passuros nos à beatissimi Fœderis conjunctione divelli, ut aut in partem contrariam transfugiamus, aut in hâc causâ Deo tantoperè gloriosâ, Regnis hisce tam commodâ, Regi nostro tam honorificâ, in fœdam & detestandam prolabamur ἐποχὴν, in neutram quasi partem propendentes; quin econtra omni studio & constantiâ per omnem vitam ei adhæsuros, & adversus omnem oppugnationem, omnia objecta impedimenta, pro viribus eandem provecturos, quæque per nos ipsi minus opprimere potuerimus, in lucem & notitiam perducturos, ut opportunis remediis occurri possit. Quæ omnia, tanquam DEO conscio præstituros pollicemur.

Quoniam autem Regna hæc multorum delictorum & prævaricationum adversus Deum, ejusque Filium Christum Jesum reatu inquinata sunt (quòd hinc exortæ præsentes angustiæ, & imminentia pericula plus quam testatum faciunt) profitemur, ac Deum hominesque testamur, nos sincero studio anhelare ad veram humiliationem pro peccatis cùm nostris tum horum Regnorum publicis; præsertim quod eximium Euangelii beneficium non ut par est æstimaverimus, quod illius puritatem & virtutem non satis studiosè quæsiverimus, quod nec Christum cordibus nostris suscipere, nec vitam eo dignam instituere advigilaverimus (ex quibus fontibus tam multa scelera passim emanârunt) Atque adeô nos, & pro se quemque, & pro

omnibus

omnibus curæ ac poteſtati noſtræ obnoxiis, quà publicè, quà privatim, in ſingulis Deo hominibuſque debitis officiis, morum emendationem, omni honeſto conatu conſtanter laboraturos, vitæque verè reformatæ exemplo aliis ut præluceamus, operam ſedulò navaturos: ut irâ & indignatione à nobis amotâ, in veritate & pace has Eccleſias & Regna confirmare dignetur Dominus. Omnipotentem verò JEHOVAM cordium ſcrutatorem, cum ſincero promiſſa præſtandi conſilio nos hoc Fœdus paciſci, teſtem nobis advocamus; Ita nos ipſi Deo probemus in tremendo illo die quo omnium cordium arcana innoteſcent: Supplices precibus ab eodem Domino contendentes, ut ad hæc perficienda Spiritus ſancti virtute nos inſtruat, & vota conatuſque noſtros felici ſucceſſu ita ſecundet, ut populo ſuo incolumitas & ſalus inde effulgeat, aliiſque Chriſti Eccleſiis ſub Antichriſtianæ tyrannidis jugo laborantibus, aut ab ejuſdem ſævitiâ periclitantibus, animi confirmentur, ut hoc ipſo aut conſimili Fœdere ſociati adverſus Dei hoſtes ſeſe muniant; In Dei gloriam, Regni Chriſti incrementum, & Regnorum ac Rerumpub. veram fidem profitentium pacem & tranquillitatem.

F I N I S.



Sess. XIIII. Aug. 17. 1643.

Decretum Synodicum de approbandâ Fœderis exhibiti formulâ.

CUm Synodus quibusdam à se delegatis demandasset, ut communicatis consiliis cum augusti Conventûs Ordinum hujus Regni, & utriusque Domûs Illustrium Comitiorum Regni Angliæ Delegatis, de ratione arctius uniendi, & consociandi duo Regna deliberationem instituerent, hoc quod subsequitur Fœdus, communis istius consultationis conclusio, Synodo ab ipsis exhibitum, & quantâ decuit negotium tanti in publicum momenti cura & solicitudine à Synodicis examinatum, unanimi omnium consensu & calculo (primordia jam etiamnum gaudii istius præsentiscentium, quod in renovando non ita pridem publico Ecclesiæ Regniq; Fœdere cumulatissimum perceperant) libentissimè approbatum acceptumque fuit, tanquam modus & ratio maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Serenissimi Regis ditionibus summâ cum pace stabiliendam ac conservandam, & ad exteras gentes propagandam, soliique Regalis authoritatem per omnia deinceps secula confirmandam. Quod propterea illustri

Ordinum Conventui summo studio commendant, ut ab ipsis examinatum approbatumque in Angliam quamprimum transmittatur, ibique acceptum & comprobatum, publicâ intercedente humiliatione, aliisque quibus uti par est ritibus [illegible]sis, omnium utriusque Regni civium puriorem reli[illegible]n sincerè profitentium, juramentis & additis chirographis sanciatur.

A. Johnston.

Decretum Conventus Ordinum, quo Fœderis ejusdem formula comprobatur. 17. *Aug.* 1643.

Roceres, Provinciarumque & Civitatum Legati in hoc Conventu publico sedentes, Fœderis antenominati formulam à Delegatis suis exhibitam, communibus eorundem consiliis ac deliberatione cum Delegatis Synodi Nationalis, ac utriusque Domus Comitiorum Regni Angliæ descriptam, & maturè à se examinatam, unanimi omnium sententiâ, cum summá gaudii testatione libentissimè comprobârunt, & obviis ulnis amplexi sunt, ut modum & rationem maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Serenissimi Regis ditionibus summâ cum pace stabiliendam ac conservandam, & ad exteras gentes propagandam, soliique Regalis authoritatem per omnia deinceps secula confirmandam. Quod cùm non dubitent à fratribus suis Regni Angliæ civibus ultró comprobatum & amplexum iri, ex seriâ præsentis Synodi Ecclesiasticæ commendatione, propter causas ante memoratas, quamprimùm eó mittendum esse statuunt, ut à fratribus suis

Anglis

Anglis acceptum & comprobatum, cum omnibus quibus uti par est religiosis ritibus, universorum utriusque Regni civium puriorem Religionem sincerè profitentium jurejurando & additis chirographis sanciatur.

Arch. Primerose Cler. Con.

Edinburgi 11. *Octob.* 1643.

Decretum de Fœdere publicè accipiendo, & Sacramentis ac appositis chirographis sanciendo.

SYnodi Nationalis Delegati Fœdus infra descriptum à fratribus suis in Angliam legatis transmissum, ab utraque Domo Illustrium Comitiorum Regni Angliæ, & Theologorum Synodo ibidem sedente comprobatum, & juramentis ac chirographispublicè sancitum, à se autem maturè examinatum, unanimi sententiâ universi acceperunt & approbarunt, utpote consentaneum illi formulæ quam nupera Synodus Nationalis Ordinumque Conventus tanto cum omnium consensu comprobaverat, ut modum & rationem maximi per Dei gratiam momenti ad puriorem Religionem in Serenissimi Regis ditionibus summâ cum pace stabiliendam ac conservandam, & ad exteras gentes propagandam, soliique Regalis authoritatem per omnia deinceps secula confirmandam: Atque adeo pro potestate sibi à Synodo delegatâ Statuunt, ut universi in hac

Ecclesiæ Pastores & Evangelii Professores , publica intercedente humiliatione , aliisque quibus uti par est religiosis adhibitis ritibus , Fœdus hoc accipiant , & jurejurando ac appositis chirographis publicè sanciant: Quod ut commodius ubique perficiatur Statutum est, ut Fœderis hujus formulâ typis quamprimum publicata , annexâ singulis exemplaribus chartâ purâ quanta sufficiat excipiendis subscribentium nominibus , ad Ecclesiarum Pastores mittatur ; utque singuli Pastores primo statim Sabbatho capita Fœderis publicè pro concione recitata explicent , & idoneis hortatibus populi animos , ad Fœdus proximo deinde Sabbatho publicè jurandum , & chirographis consignandum instruant. Statutum est insuper, ut Presbyteria in suis quæque classibus obedientiæ rationem exigant , in contumaces & moras nectentes, tanquam conservandæ & propagandæ Religionis hostes , censuras Ecclesiæ stringant , eorumque nomina , cum exacta diligentiæ suæ ratione , ad hunc Delegatorum Synodi consessum , ejusve Moderatorem aut Scribam quamprimum referant. Quinetiam ut bono exemplo aliis animus addatur , Visum est Synodi Delegatis, ut perendino die , mensis instantis 13. concione & hortatione facta à *Roberto Duglassio* Moderatore , publica Fœderis sanctio conceptis juramentis & appositis chirographis ab ipsis in urbe præsentibus in *æde Orientali* celebretur ; Seriò ad hoc rogatis Conventus Ordinum , ac Comitiorum Regni Angliæ Delegatis , ejusque Regni Theologis,qui in urbe sunt , ut tam sancto & religioso negotio secum interesse velint.

A. Ker.

Edinburgi

Edinburgi 12. Octob. 1643.


Onventûs Ordinum Delegati Fœdus infra descriptum, à Synodi Delegatis sibi exhibitum, in Anglia approbatum, & juramentis additisque chirographis publicè sancitum, à se autem maturè examinatum, unanimi omnium sententiâ comprobant, utpote formulæ in nupero Ordinum Conventu & Ecclesiæ Synodo approbatæ consentaneum : Adeoque Statuunt & Edicunt, ut idem Fœdus universi Regiæ Majestatis in hoc Regno Subditi, religiosis qua par est adhibitis ritibus, publicis juramentis & chirographis sanctè stipulentur : Ut renuentes aut tergiversantes, Religionis ac honoris Regii & publicæ trium Regnorum tranquillitatis hostes habeantur, eoque nomine plectantur, eorum bona publicentur, & ipsi nullo in hoc Regno beneficio fruantur, nullo munere fungantur, Utque omnes Præfecti Juridici, Senescalli, aliique sub Regiâ Majestate constituti Magistratus, sive in urbibus, sive rure, omnesque per Provincias ab Ordinum Conventu Delegati Ecclesiarum Pastoribus & Presbyteriis in exigendâ hujus Edicti obedientia, authoritate & auxilio suo adsint & opitulentur; diligentiæque suæ rationem Delegatis ab Ordinum Conventu quamprimum reddant, renuentiumque & tergiversantium nomina referant ; ut de iis in modum supramemoratum multandis consilium capiatur, utque ad proxima Comitia in jus vocati, tanquam hostes Religionis, Regis & Regnorum, ex Regis Ordinumque arbitrio supplicium luant. Statuitur etiam, ut hoc, unà cum superiore Conventus Ordinum edicto typis mandatum, & in foro principum urbium publicè promulgatum ansam ignorantiæ cunctis præcidat.

Arch. Primerose Cler. Com.



FOEDUS SACRO-SANCTUM,

Pro Religione repurgandâ, & propugnandâ,

Pro honore & felicitate Regis asserendâ,

Pro conservandâ pace & incolumitate publicâ in tribus Regnis

SCOTIA, ANGLIA, & HIBERNIA.



NOs Proceres, Barones, Equites, aliique Nobiles, urbium Municipes, Euangelii Ministri, & Plebeii, Regni *Scotiæ*, *Angliæ*, & *Hiberniæ* Cives, ejusdem Regis imperio, ejusdemque reformatæ Religionis communi professione divino consilio sociati, Dei Opt. Max. gloriam, Regni gloriosi Domini ac Servatoris nostri incrementum, Regis Serenissimi ejusque posterorum honorem ac felicitatem, legitimamq; regnorum, quibus privata singulorum conditio continetur, libertatem, incolumitatem, & tranquillitatem publicam sincerè spectantes; Simul atrocissimas Dei hostium molitiones, nefarias conjurationes, horrendasque machinationes & conatus adversus sinceriorem Religionem, ejusque Professores, cùm ubique, tum nominatim in tribus hisce Regnis, jam inde à primis expurgatæ superstitionis temporibus recordantes; quantisque accessionibus impius

iste

iste furor, quantis virium incrementis, quam intolerando fastu, & nuper & nunc, adauctus, quantâ sævitiâ grassatus sit, animis nostris perpendentes, quorum omnium deploratus Ecclesiarum et Reip. per Hiberniam status, summæ quibus per Angliam conflictantur angustiæ, ac sævissima iisdem per Scotiam impendentia pericula nimis quàm illustria hodie sunt testimonia; tandem aliquando (frustra toties alia consilia, supplicando, declarando, protestando, tolerando experti) ad nosmetipsos Religionemque nostram ab extremo exitio conservandos, laudatissimum majorum nostrorum in hisce Regnis, populique Dei in aliis gentibus exemplum secuti, maturo adhibito consilio, mutuum Fœdus sanctè paciscimur, Universi additis chirographis stipulantes, & pro sua quisque parte virili levatis ad DEUM Celsissimum manibus, Jurantes,

I. Nos sincero, honestoque studio, constanter per Dei gratiam daturos operam, suo quemque loco, ut in Ecclesiâ Scoticanâ repurgatæ Religionis puritas, in doctrinâ, cultu, disciplinâ & regimine, adversus hostium communium conatus inviolata conservetur; ut in Regno Anglico & Hibernico Religio Christiana in doctrinâ, cultu, disciplinâ & regimine, ad præscriptum Verbi Divini, & purissimarum Ecclesiarum exemplar, à corruptelis vindicetur; utque Ecclesiæ Dei in tribus istis Regnis ad arctissimam conjunctionem & harmoniam in Religione, fidei confessione, regiminis ecclesiastici formulâ, cultûsque divini & catecheticæ institutionis directorio perducantur: Ut & nos & posteri nostri fraterno charitatis & fidei vinculo sociemur, & Dominus in medio nostri habitare delectetur.

II. Nec minore fide advigilaturos & adnixuros ut Papismus, Hierarchia Prælatica seu regimen ecclesiæ per Archiepiscopos, Episcopos, eorundem Cancellarios & Commissarios, Decanos, Decanos & Capitula, Archi-

diaconos, aliaque Hierarchiæ ministeria, ut superstitio, hæresis, schisma, impietas, & quicquid sanæ doctrinæ & pietati minus consentaneum compertum fuerit, funditus extirpetur; ne peccatis alienis communicemus, & in pœnarum societatem nos præcipitemus, sed ut in tribus hisce Regnis, Dominus sit unus & nomen ejus unum;

III. Nec minus sedulò & constanter, pro sua quemque conditione, cum vitæ etiam & fortunarum discrimine, mutuam operam præstituros, in tuendo & asserendo Parliamentorum jure & privilegio, ac Regnorum suis cujusque libertatibus, nec non Serenissimi Regis incolumitate & authoritate vindicandâ in purioris Religionis & libertatis publicæ conservatione: Ut unà cum conscientiis nostris Orbis universus fidelitati nostræ testimonium perhibeat, & quàm alienæ sint cogitationes nostræ ab omni consilio Majestati Regiæ & legitimæ ipsius autoritati vel tantillum derogandi, omnibus demonstremus.

IV. Omni etiam fide operam navaturos, ut Incendiarii, quietis publicæ turbatores, quique malignis consiliis Religioni repurgandæ impedimenta objiciunt, Regis animum à civibus alienare, inter regna hæc dissidium serere, aut factiones in populo adversus fœderis hujus societatem concitare satagunt, detegantur, inque judicium publicum pertrahantur; ut supplicium luant pro suo quisque demerito, aut quemadmodum suprema utriusque Regni judicia, eorundemve Delegati de suis quique statuent;

V. Quin & pacem ac concordiam publicam inter hæc duo regna, majoribus nostris tot secula negatam, nunc tandem Dei Opt. Max. consilio feliciter nobis concessam, & supremorum Comitiorum in utroque regno sanctionibus non ita pridem confirmatam, suo quemque loco & conditione sartam tectam conservare omnem operam daturos,

daturos, ut illæsa ad omnem posteritatem transmittatur, ejusque hostes & violatores ad supplicium pertrahantur, ad modum superiore articulo expressum;

VI. In hâc quoque Religionis, Libertatis, & Pacis inter duo Regna conservandæ causâ publicâ, nos, suo quemque loco, omnes & singulos Fœderis hujus communione nobiscum sociatos in ejus prosequendi & propugnandi negotio asserturos, auxilioque nostro defensuros, nec ullis artibus, ullâ spe aut terrore proposito, passuros nos à beatissimi Fœderis conjunctione divelli, ut aut in partem contrariam transfugiamus, aut in hâc causâ Deo tantoperè gloriosâ, Regnis hisce tam commodâ, Regi nostro tam honorificâ, in fœdam & detestandam prolabamur ἐφεξιν, in neutram quasi partem propendentes; quin econtra omni studio & constantiâ per omnem vitam ei adhæsuros, & adversus omnem oppugnationem, omnia objecta impedimenta, pro viribus eandem provecturos, quæque per nos ipsi minus opprimere potuerimus, in lucem & notitiam perducturos, ut opportunis remediis occurri possit. Quæ omnia, tanquam DEO conscio præstituros pollicemur.

Quoniam autem Regna hæc multorum delictorum & prævaricationum adversus Deum, ejusque Filium Christum Jesum reatu inquinata sunt (quòd hinc exortæ præsentes angustiæ, & imminentia pericula plus quam testatum faciunt) profitemur, ac Deum hominesque testamur, nos sincero studio anhelare ad veram humiliationem pro peccatis cùm nostris tum horum Regnorum publicis; præsertim quod eximium Euangelii beneficium non ut par est æstimaverimus, quod illius puritatem & virtutem non satis studiosè quæsiverimus, quod nec Christum cordibus nostris suscipere, nec vitam eo dignam instituere advigilaverimus (ex quibus fontibus tam multa scelera passim emanârunt) Atque adeò nos, & pro se quemque, & pro omnibus

omnibus curæ ac potestati nostræ obnoxiis, quà publicè, quà privatim, in singulis Deo hominibusque debitis officiis, morum emendationem, omni honesto conatu constanter laboraturos, vitæque verè reformatæ exemplo aliis ut præluceamus, operam sedulò navaturos: ut irâ & indignatione à nobis amotâ, in veritate & pace has Ecclesias & Regna confirmare dignetur Dominus. Omnipotentem verò JEHOVAM cordium scrutatorem, cum sincero promissa præstandi consilio nos hoc Fœdus pacisci, testem nobis advocamus; Ita nos ipsi Deo probemus in tremendo illo die quo omnium cordium arcana innotescent: Supplices precibus ab eodem Domino contendentes, ut ad hæc perficienda Spiritus sancti virtute nos instruat, & vota conatusque nostros felici successu ita secundet, ut populo suo incolumitas & salus inde effulgeat, aliisque Christi Ecclesiis sub Antichristianæ tyrannidis jugo laborantibus, aut ab ejusdem sævitiâ periclitantibus, animi confirmentur, ut hoc ipso aut consimili Fœdere sociati adversus Dei hostes sese muniant; In Dei gloriam, Regni Christi incrementum, & Regnorum ac Rerumpub. veram fidem profitentium pacem & tranquillitatem.

FINIS.

